

1791.

1. * Bodenhausen, Hans Fridericus Ferdinand. de: *Responsa iuris I. II et III. Programma, quo ordinarius senior et reliqui doctores fac. jus. examen superatum*. Hans Fridericus Ferdinand. de Bodenhausen
in han hūs.
2. * Bornius: *De iusto delictorum astimatione.*
Programma, quo ordinarius senior et reliqui fac.
jus. assessores memoriam Bornianum --
recolendam in dicunt.
3. Pfeitmannus, Ios. Lut. dm: *(Miscellaneorum ad ius pertinentium specimen XV)*. Programma, quo ordinarius senior et reliqui doctores fac. jus.
solenaria doctoralia Rudolfi Hommelii
in dicunt.
4. * Kriegelius de Thornbach, Coriolanus Fridericus: *De iusto paenam modo.* Programma, quo ordinarius senior et reliqui assessores fac. jus. memoriam Coriolani Friderici Kriegelii de Thornbach: recolendam
in dicunt.

1791.

5. Apel, Ritterius Augustus Ferdinandus: De juri singularibus clericorum praecipue in Saxonia 11.
6. Arnold, Gottfridus Augustus: De vario principium Saxonicis controversis pacto Hamburgico a. 1584 12.
Hausactis
7. Arnold, Gottfridus Augustus: De vario principium Saxonicis controversis pacto Hamburgico a. 1584 13.
Hausactis.
8. Bauer, Hussius Gottfridus, fac. ius. procuratorius:
Responsa iuris IV et V. Programma, quo salutem
doctorum Friderici Augusti Ferdinandi Apel
indicit. 14.
9. Bauer, Hussius Gottfridus, fac. ius. procuratorius
Iuris: Brevis commentatio decr. A. a. 1786.
Programma, quo salutem inauguralia Friderici 15.
Augusti Bentzelii indicit.
10. Bauer, Hussius Gottfridus: De medietate delicta 16.
minimandi. Programma, quo paratelia . . . Corde
Grotius de Winckler . . . celestibunda indicit. 17.

1791.

11. Bienerus, Christianus Gullab: Historia et iura
suffragis Electoralis Soronicis et Archimarchellatus
S.R. I. ab anno 1354 usque ad interitum Maxima.
datur in foenia Electoralis Westphalica.
12. Beck, Ferdinandus Gottschel: De fine regio salinorum
casu quoque inserviacione
13. Gehlerus, Dr. h. c. Otto: De subiectu anni feuii arum
successione, in feudo feuii uiro ad collaterales
hauseunte
14. Hausmann, Fridericus Charles: Vacacione sen.
tentiae ab Augusto Imperialis Camerae judicio
de restituendis episcopo Leonensis iuribus latae
directoribus circuiti Westphalici mandata.
15. Hommel, Rudolphus: De renovatione consiliariorum
imperii Melitensis et Westrandae locum art. 24510
Capitulacionis Caesareae novissime.
16. Keerius, Thales Tristius: De discriminaliter
delicta atrocia et levia rite statuta.
17. Lebel, Renatus Gottschel: De causa sanctificatio
ventrionum jure rationis

1791.

18. Pöhlmann, Ius. Lut. Dr.; fac. iur. procuratorialis.
(Miscellaneorum ad ius pertinentium specimen XIII)
Programma, quo sollemnia inauguralia Bonati Galli
help Tachetii indicat.
19. Pöhlmann, Ius. Lut. Dr.; fac. iur. procuratorialis:
(Miscellaneorum ad ius pertinentium specimen XI)
Programma, quo sollemnia inauguralia Christiane
Augstii Stoltzii indicat.
20. Pöhlmann, Tommas Ludovica Ernestus: De Licenio Rupie
jurisconsulto.
21. Ron, Christanus, fac. iur. procuratorialis: (De varicis
saturninis jure consultis). Programma, quo sollemnia
inauguralia Friderici Caroli Haesemannis indicat
22. Ron, Christanus; De praerogatione S. R. S. principum
electorum sine speciali Imperatoris consensu terra
imperii acquirendi ad illustrandum locum turca
bullet Cap. 82 et. 3.

Bd. 2.

1791.

23. Schafft, Hygatus Fostorius: *De culatione redditum
in hereditatis absentia ob mortem praesumtan-
petatione pro persona Electoris prescripta.*
24. Strelitz, Chri. August: *De temporis continuo
et utilio computatione*

Welt wird und kann nicht mehr
durch andere Lande verhindert werden
als durch selbst sich auf sie selbst
auf sie selbst zu verhindern.
Gedanke war es mich nicht zu schaffen
dass ein Lande so viel Lande und
Völker zu haben und doch
nicht genug allein.
Doch es ist das nicht der Fall
dass ein Lande so viel Lande und
Völker zu haben und doch
nicht genug allein.

Es ist kein Lande so viel Lande und
Völker zu haben und doch
nicht genug allein.
Doch es ist das nicht der Fall
dass ein Lande so viel Lande und
Völker zu haben und doch
nicht genug allein.

3
1791.3.

ORDINARIVS
SENIOR ET RELIQVI DOCTORES
FACVLTATIS IVRIDICAE
LIPSIENSIS
PROCANCELLARIO
IOS. LVD. ERN. PÜTTMANN

I. V. D

CATHEDRALIS ECCLESIAE MARTISBURGENS, CANONICO CAPITVLARI
COD. PROFESSORE ORD. COLLEG. ICTOR. SENIORE, ACADEMIAE DECEMVIRO

SVM MOS IN IVRE HONORES

CVM SPE
SVO TEMPORE LOCVM IN COLLEGIO

OBTINENDI

PRAECLARISSIMO CANDIDATO
RUDOLPHO HOMMELIO

LIPSIENSI

ARTIVM MAGISTRO ET IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREO

A. D. XXVIII. SEPTEMBRIS MDCCCLXXXI

COLLATOS

INDICVNT



ORDINARIA
SENIOR PTERIOLI DODDITRIS
TICATATIS TARDICAV
TICATATIS
PROGANGEBALARIO
102 LVI. ENI. RATTMINNO

ACADEMIAE LIBRARIAE MATH. NAT. ET MOR. SOC. PATRIOTICO
COM. HONORIS ORT. COLLEG. SOC. LIB. & MOR. ACADEMIAE BECCARIAE

SANCTO ROMAN. IMPERIO ROBERTO

ADIEGO BONVIN COELIO

COELIO

OMNIBUS COELIO

ADOLPHO HONORIO

1273-24

ACADEMIAE LIBRARIAE MATH. NAT. ET MOR. SOC. PATRIOTICO

A. D. XXVII. SEPTEMBER. MDCCCLXXVII

COELIO

COELIO

MISCELLANEORVM

AD IVS PERTINENTIVM

SPECIMEN XII.

CAPVT XXIII.

*De ratione aetatis, qua quisque veterum Iclorum, quorum
fragmenta Pandectis continentur, vixit, in iisdem inter-
pretandis habenda.*

Equidem in ea semper fueram opinione, itaque animo
persuasum habueram, si quando veteres inter Iclos,
quorum fragmenta vasto Digestorum opere continentur,
haud omnino conueniret, sed quod ab uno affirmatum es-
set, ab altero negaretur, aut aliter constitueretur, non aliud
ad tollendas antinomias componendaque *eventio pœna*
promtius et accommodatius remedium esse, quam aetatis,
qua quisque Iclorum vixerit scripscripte, diligentem ac-
curatamque obseruationem. Atque id non modo *Probabil.*
Lib. II. c. 3. publice professus fueram, sed BYNKERSHOE-
KIVM etiam aliosque primae classis interpretes, eidem sub-
scribentes sententiae, laudaueram. Sed intercessit nuper et
hunc scilicet errorem dediscere nos iussit I. B. KOEHLERVS,

A 2

Vir

Vir celeberr. in Praetermissis ad Constitutionem Δέδωκεν, quae
Regiomont. 1781. edidit, p. 31. scribens:

Constat sane hodie inter eruditos, remansisse quaedam in Pandectis veterum dissensionum vestigia: et si quidem manifesta sit ἀντίοψια, nec insit, quod obseruari voluit Iustinianus, occultius quiddam, quod discordiae querelam dissolutat, vel traducenda sunt pugnantia loca ad recentiores Iustiniani Conf. ut inde emendationem et controuersi iuris decisionem referamus, vel, si hoc fieri non licet, utraque sententia momento suo diligenter ponderata, quid sequi conueniat, statui debet. Nam certe quidem ego in talibus cum — Püttmanno — aetatis Ieronim rationem haberi nolim, cum omnium eadem sit auctoritas, neque alterum altero potiorem haberi voluerit Iustinianus: et bene hac de causa in l. vn. C. Th. de resp. prud. Valentinianus III. Vbi pares sententiae recitantur, quorum par auctoritas, quod sequi debeat, eligat moderatio iudicantis.

Quam recte hoc ab eo factum sit, iam videamus. Ac principio quidem haud negamus, remansisse in Pandectis quaedam veterum dissensionum vestigia, de quibus optime exposuit G. MASCIVS in diatr. de Sest. Sabinianor. et Proculianor. in iur. ciu. Lips. 1728. Lubenter etiam concedimus, si quando veteres reapse dissentient Ieti, nos nunquam non eam

eam sententiam, quam IVSTINIANVS praeualere voluit, suisque legibus confirmauit, sequi oportere; quo praecipue faciunt Quinquaginta illae IVSTINIANI Decisiones, Codici repetit. praelect. maximam partem insertae, de quibus praepter alios idem dixit MASCOVIVS *l. c. cap. 9.* Hoc autem negamus et pernegamus, si qua veterum Iectorum dissensio, in Pandectis reliqua, a IVSTINIANO recentioribus legibus haud fuerit sublata, tunc, ponderata vtraque sententia, id, quod aequius melius nobis videtur, statuendum esse. Nos quidem tunc potius actatem, qua quisque veterum Iectorum vixerit, inspiciendam, sententiaceque illius, qui aetate fuit posterior, subscribendum censemus, idque nos in praesenti lectoribus nostris probaturos esse speramus.

Haud quidem nos latet, LAVTERBACHIVM in *Colleg. theor. præf. Prolegom. l. 4.* hanc ipsam, quae doctissimo KOEHLERO placet, fouisse opinionem, eandemque post LAVTERBACHIVM ctiam IO. MERCERIO in *Conciliator. p. 126.* arrisisse. Idem vero scio, vtrumque iam notasse B. H. REINOLDVM in *not. ad Mercerium l. c. eoque magis miramur,* idem denuo eruditissimo KOEHLERO placuisse. Ne autem extra oleas vagari videamur, initio quidem argumenta, pro nostra quae militant sententia, proferemus, post deinde ea, quae ab aduersariis nobis obmouentur, refellemus.

Ac primo quidem I^VSTINIANVS haud frustra principio statim Dig. posuit *Tit. de origine iuris*, in quo de successione prudentum simul exponitur, sed eo maxime animo hoc fecisse putandus est, ut sciremus, quo ordine veteres I^Tet*ti* fere excepint. Bene POMPONIVS in *J. 35.* huius tit. *Iuris civilis scientiam plurimi et maximi viri professi sunt: sed qui eorum maximae dignitatis apud populum Romanum fuerunt, eorum in praesentia mentio habenda est, ut appareat, a quibus et qualibus haec iura orta et tradita sunt.* Quod in ita fere haberet, quo quaeſo longa illa veterum I^Tet*torum* recognitio a *J. 35.* usque ad finem? Certe fatendum est, aut POMPONIVM incasum hunc suscepisse laborem, aut ideo hoc eum fecisse, ut doceret, quo tempore quisque veterum iurisprudentum vixerit, viamque monstraret, quam in fragmentis eorum sola temporis ratione componendis sequeremur. Et quid quaeſo clarius verbis I^VSTINIANI in *Conf. de Conf. Dig. J. 20.* N^e ceterum incognitum vobis fiat, ex quibus veterum libris haec consummatio ordinata est, iussumus et hoc in primodiis Dig. nostrorum inscribi, ut manifestissimum sit, ex quibus legislatoribus, qui buseque libris eorum et quod millibus hoc iustitiae romanae templum dedicatum est.

Deinde notissima est regula in *l. 4. D. de Conf. Princ.* clare expressa: *Ius tempore posterius potius est hoc, quod illud prae-*

praecepsit. Iam inter omnes constat, ius romanum non uno momento conditum, aut quemadmodum fungi vna nocte e terra nasci dicuntur, ita ipsum vno tempore ortum esse, sed sensim eum in statum, quo IVSTINIANI erat aetate, pervenisse, multaque pedetentim a Ictis recentioribus adiecta fuisse, quae ab antiquioribus nondum admittebantur, quod quidem innumera docent exempla, quorum nonnulla infra in medium proferemus. Nonne, ut CURIACIVS *Obf. VII. 25.* docuit, veteres etiam prudentes passim *iuris* appellantur *auctores*, et qui quoquo fieri hoc potuisset, ni *iuris ciuilis* aliqua pars illis accepta ferenda esset? Hospes in iure ciuili sit oportet, qui nihil vnamquam de iure commenticio inaudierit, de quo nosmet ipsi exposuimus *Probabil. Lib. II. c. 1.* et quem lateant veterum Ictorum *Euremata*, de quibus elegans H. BRENMANNI exstat diatriba *L. B. 1706.* typis excusa; vt nihil iam de fori disputatione dicam, cuius meminit POMPONIVS in *I. 2. §. 5. D. de O. I.* *His legibus latis, coepit, ut naturaliter euenire solet, et interpretatio desideraret prudentiam auctoritate, necessariam esse disputationem fori.* Haec disputatione, et hoc ius, quod sine scripto venit, compositum a prudentibus, propria parte aliqua non appellatur, ut ceterae partes iuris suis nominibus designantur, datis propriis nominibus ceteris partibus, sed communi nomine appellatur *ius ciuale.* Quis igitur dubitabit,

Alioquin Quid non inveniatur in libris quin

quín hac etiam parte ius tempore posterius potius sit hoc,
quod illud praecessit?

Postremo IUSTINIANVS in *Conf. de Conf. Dig.* §. 15. di-
serte, *Contrarium*, ait, *aliquid in hoc codice positum nullum sibi
locum vindicabit, nec inuenitur, si quis subtili animo diuersitatis
rationes excutiet, sed est aliquid nouum inuentum, vel occulite
positum, quod diffontiae querelam dissoluit, et aliam naturam in-
ducit discordiae fines effugientem.* Nae autem falsissimum hoc
effet, Thrasonemque impudentissimum egisset IMP. nisi ad-
hibita temporis nota veterum fragmenta Iectorum in ordinem
disponere, iusque posterius praeferre priori nobis liceret.
Sunt enim profecto multa in *Dig. capita*, quae nulla alia,
quam temporis ratione inuicem conciliari et in ordinem re-
digiri possint.

Neque vero solus ego ita sentio, sed in eadem senten-
tia dudum ante me fuere viri doctissimi, qui familiam quasi
inter iuris romani interpretes ducere existimantur. Ex mul-
tis, quos laudare hanc in rem possem, paucos tantum no-
minabo. Ita scilicet sentit H. BRENKMAN cum in *Ep. de
Consul. quorum in Pandectis fit mentio*, (in *App. Faſt. Theod.
Ians. ab Almeloueen*, p. 590.) tum in diff. de leg. inscript. §. 22.
ANT. SCHULTING in *Or. de iurispr. histor. ad caecem Iurispr.
Antejustin.* p. 915. HEINECCIUS item in *Commentar. ad L. Iul.*

et

*et Pap. Popp. Lib. III. c. 5. BYNKERSHOEK Obs. I. 5. et B. H.
REINOLD in Opusc. p. 559.* Sexcentia sunt, inquiens, huiusmodi
in Pandectis exempla, quae demonstrant, quomodo sensim ab anti-
quo iure, consuetudine posterioris aeuī, fuerit discessum, quaeque
ad eo nos admonent, sedulo ICTi cuiusque aetatem a nobis obseruari
debere, idemque in not. ad Mercerium p. 126. Lauterbachius
frustra aetatem, qua Icti veteres et in Dig. laudati vixerunt, in
subsidium vocari, aetatisque obseruationem ad conciliationem legum
D. quidquam facere negat. Verum non est in eius concedendum
sententiam. Nam posterioribus temporibus multa recepta sunt,
quae antea, velut iuri stricto aduersa, non admittebantur; ita eue-
nit, ut ICTorum quisque de sua tempestate testimonium perhibeat
verum. Cuiacius non respuit conciliandi rationem ex inspectione
aetatis auditorum; ita enim illi Obs. XIX. 26. componenda videtur
pugna, quae est inter l. 41. D. de pignor. ad. et l. 22. D. de pignor.
et hypoth. Adde L. A. HAMBERGERI diff. iur. p. 301.

Sed, inquiunt aduersarii, postquam IVSTINIANVS in l. 1.
§. 6. C. de V. I. E. omnia, quae in Digestis leguntur, sua fecit,
tanquam si a diuino suo, vt ipse ait, ore prouenissent, non
potuit non aequalem omnibus veterum ICTorum responsis
atque fragmentis, quae Dig. continentur, auditoratem tri-
buere. Audio; sed frustra haec dici, confidenter credo. Sua
fecerit Imp. omnia; vel sic tamen nostra vincet sententia.
Quodsi enim duea sint IVSTINIANI constitutiones, plane

B

sibi

fibi contrariae, (vt sunt fane multae), possuntne eae simul in foro valere, an non posterior vincet priorem, ab ipso auctore noua legislatione antiquatam? Prius nemo sanus dixerit, ideoque, hoc remaneat, necesse est. Eadem vero diuersorum capitum in Digestis occurrentium, quae sibi aduersari intelliguntur, ratio est, quod iam monuit C. H. ECKHARD in *Herm. iur. Lib. I. c. 1. §. 43.* Quamquam *Iustinianus omnia, quae in Pandectis continentur, sua fecit, tamen auctoritate sua efficere non potuit, ut duae constitutiones contrariae eodem tempore vim legis obtineant, quippe quod cum ipsa rei natura pugnat.* Quod si verum est, et constare tamen non potest, utra lex sit prior, aut posterior, nisi temporis habeatur ratio, unusquisque facile intelligit, non vetare eo dicto potuisse Iustinianum, ut in aetatem et doctrinam ICtorum diligenter inquiramus. Nec huc pertinet, quam I. B. KOEHLERYS excitat, *Ivn. C. Th de resp. prud.* in qua VALENTINIANUS III. *Vbi pares eorum sententiae recitantur, quorum pars censetur auctoritas, quod sequi debeat, eligat moderatio iudicantis.* Primo enim Codex Theodosii hodie, postquam IUSTINIANVS omnem illi auctoritatem abrogauit, frustra nobis opponitur. Deinde doctissimus KOEHLERYS verborum, quibus VALENTINIANVS in d. l. vn. vtitur, vim haud satis perspexisse videtur. *Vbi, ait, pares eorum sententiae recitantur, quorum pars censetur auctoritas, rel.* Nonne autem aetate posterior, ius, quod suo

II

suo tempore obtinebat, referens, vincet priorem, cuius aetate hoc nondum receptum erat? Ita fane; nisi tanquam mali coci omnia miscere, iuraque recentiora cum obsoletis et antiquatis confundere velimus. Quae cum ita sint, quis quaeſo ex *all. l. vn.* colliget, prohibuiffe Imp. ne aetatis veterum ICtorum rationem habeamus? Proſecto non fuit ei haec mens, hic animus, vt quilibet sua ſponte facile intelliget. Ceterum lubenter ſubſcribo REINOLDO in *not. ad Mercerium p. 131.* Quoties contingit, ut duorum ICtorum aequalium contraria ſint reponſa, fruſtra de aetate quaeritur. At ubi diuerſis temporibus vixere, merito contrarium obtinet.

Sed aliam viam, quam, diſſentientibus ICtis, ſequamur, nobis commonontrat KOEHLERVS, ponderata ſcilicet vtraque ſententia, quid ſequi conueniat, flatuendum eſſe. Enim vero magnopere vereor, vt hac ratione difficultates obmootas ſuperare feliciter poſſimus. Quodſi enim iudici, quoties eiusmodi obuenit species, e diuerſis ICtorum ſententiis vnam liceret eligeſe, res proſecto eo loci eſſet, quo foret, ſi nihil plane ea de re in Dig. perſcriptum eſſet. Iudicis eſt, ſecundum leges iudicare, non de legibus. Hoc ſi permittas, ius redditur incertiffimum, quo nihil pernicioſius accidere potest reip. vt plenius demonſtrauimus in proluf. de arbitrio iudicis e foro iudiciisque eliminando, quae legitur in *Syll. var. opus. no. VII.*

B 2

Nihil



Nihil iam superest, nisi vt, quod haec tenus diximus, aliquot exemplis exstantioribus illustremus. Non repetemus hic illud, quod iam dedimus *Probabil. Lib. II. cap. 3.* Nec nostra faciemus exempla, quae C. F. G. MEISTER in *Orde
naturae iuris romani chronologici necessitate (in Syllog. Select.
opusc.)* proposuit, sed nostra ex penu nonnulla in medium proferemus.

Super quaestione, an area legata, cui ante aditam hereditatem aliquid inaedificatum fuerit, vna cum ea aedificium, an neutrum flatim debeatur, CELSUM et IAVOLENUM dissentire videoas. Ille aream, antequam aedificium dirutatur, peti haud posse putans in *l. 79. §. 2. D. de legat. III. Area*, inquit, *legata, si inaedificata medio tempore fuerit, ac rursus area sit, quamquam tunc peti non poterat, nunc tamen debetur.* Hic contra aedificium, tanquam augmentum, solum sequi, ideoque legatario cedere, existimans, in *l. 39. D. de leg. II.* *Si areae, ait, legatae post testamentum factum aedificium impositum est, utrumque debebitur, et solum et superficium.* Num quoquo hic iudici, ad quem eiusmodi species defertur, arbitrium, quid valere velit, permittemus? Nequaquam, sed vincet IAVOLENVS, vtpote aetate posterior, maxime cum huic etiam adstipuletur VLPIANVS in *l. 44 §. 4. de legat. L* scribens: *Si areae legatae domus imposta fit, debebitur legatario, nisi testator mutauit voluntatem.*

Duode-

Duodecim Tab. furem nocturnum, telle Cic. pro Mil. cap. 3. quoquo modo, diurnum autem, si se telo defendet, interfici impune voluerunt. Clamorem addit CAIVS in l. 4. §. 1. D. ad L. Aquil. Lex XII. Tab. furem noctu deprehensum occidere permittit, ut tamen id ipsum cum clamore testificeatur: interdiu autem deprehensum ita permittit occidere, si is se telo defendat, ut tamen aequa cum clamore testificetur, VLPIANVS autem in l. 9. D. ad L. Corn. de sic. Furem, inquit, nocturnum si quis occiderit, ita denum impune feret, si parcere ei sine periculo suo non potuit. En! quomodo rigor XII. Tab. pedetentim fuerit mitigatus, siveque diuersae CAII et VLPIANI sententiae in ordinem redigi facile possint.

Aduersa fronte inter se pugnant CAIVS et PAPINIANVS in l. 68. §. 3. D. de legat. I. et l. 65. §. 2. D. de legat. II. In priore enim CAIVS: Quodsi idem pure legatus sit, et ex die liber esse iussus erit, omnimodo inutile legatum est, quia diem venturum certum est. Ita Julianus quoque sensit. Unde ait, si seruus Titio legatus sit, et idem post mortem Titii liber esse iussus fuerit, inutile legatum est, quia moriturum Titium certum est; in posteriore contra PAPINIANVS: Titio Stichus legatus post mortem Titii libertatem accepit. Et legatum adita hereditate, et libertas post mortem Titii competit; idemque est, et si moriente Titio liber esse iussus est. Evidem scio, omnem lapidem mouisse Io. CONR. RUCKERV M Interpr. Lib. II. cap. 4. vt fragmenta

illa in concordiam adduceret, et PAPINIANVM a CAIO haud dissentire ostenderet. Sed operam frustra insumisſe RUCKERVM, satis, ni fallimur, ostendimus *Interpr.* et *Obs.* cap. 21. Quid igitur iudex sequetur? Haud proſecto ſuum ipſius arbitrium, ſed litem ex ſententia PAPINIANI decidet, non tam eam ob cauſam, quod ita vtrumque, et legatum et libertas, ſuo tempore competit, et hac ratione teſtatoris voluntati optimè ſatisfieri potest, ſed ideo maxime, quod PAPINIANVS CAIO actate posterior eſt, et, quod huius tempore locum haud inueniebat; illius aeuo, ad acquitatem priore, facile admittebatur.

Haud minus pugnare *l. 6. pr. in f. et l. 8. D. comm. praed.* contra ACCVRSIVM, CVIACIVM et LVD. VITALEM docuit IAC. VOORDA *Interpret.* et *Emend.* Lib. II. c. 11. In priore enim VLPIANVS: *Duas aedes ſimul tradendo non potest efficere alteras alteris ſeruas: quia neque acquirere alienis aedibus ſeruitutem, neque imponere potest,* in *l. 8.* autem POMPONIVS: *Si, cum duas haberem inſulas, duobus eodem momento tridero, videndum eſt, an ſeruitus alterutris impofita valeat: quia alienis quidem aedibus nec imponi, nec acquiri ſeruitus potest.* Sed ante traditionem peractam ſuis magis acquirit, vel imponit is, qui tradit; ideoque valebit ſeruitus. In hoc diſſenſu qua ſententia ſlandum erit iudici? VOORDA ait: *flarem ego a partibus Pomponii.* Conſtat enim vel ipſo Vlpiano autore in *d. l. 6. pr.*

Dig.

Dig. comm. praed. eum, qui duas aedes habens tradit alteras, posse legem traditioni dicere, ut vel istae, quae non traduntur, seruae sint his, quae traduntur: vel contra, ut traditae retentis aedibus seruant. Horum autem neutrum fieri potest, nisi intelligatur tradens ante peractam traditionem seruitutem aedibus etiamnum suis acquirere vel imponere: nam alienato, perfecta iam traditione, a se dominio, alienis aedibus neque acquirere eam potest, neque imponere. Ego vero a partibus VLPIANI, vtpote aetate posterioris, standum existimo, maxime cum species, ab VLPIANO in princ. d. l. b. tractata, ab illa, quam in fin. pr. proponit, plane diuersa sit, et ab altera ad alteram argumentum duci nequeat. In priore enim alteras aedes tradens alteras retinet, hisque seruitutem tam acquirere, quam imponere vtique potest, quod contra in altera specie fieri iuris ratio: quia neque acquirere alienis aedibus seruitutem, neque imponere potest, haud patitur. Sed haec in praesenti exempla sufficiant.

Non possum autem silentio hic praeterire, haud raro IC-
tos posteriores diserte testari, ius sese referre recentius, quod antiquioribus temporibus nondum esset receptum, quam in rem plerumque formulam *hoc iure utimur* adiiciunt. Ita e.g. MODESTINVS in l. 4. pr. D. de vulg. et pup. subst. Iam hoc iure utimur ex D. Marci et Veri Constitutione, ut cum pater im-
puberi filio in alterum casum substituisset, in vitrumque casum sub-
stituisse

situiffe intelligatur, siue filius heres non exfliterit, siue exfliterit et impubes deceffterit. Plura exempla dedit H. BRENKMAN de *Eurematicis* p. 133. sq. et B. BRISSONIUS de *V. S.* p. 1324.

Haud minus disertam iuris noui mentionem iniicit *CARTA* in l. 42. *D. de don. int. vir. et ux.* Nuper ex indulgentia *Principis Antonini* recepta est alia causa donationis, quam dicimus *honoris causa:* ut ecce, si uxor viro laticlaviū petendi gratia donet, vel ut equestris ordinis fiat, vel ludorum gratia. Idem facit *VLPIANUS* in l. 61. §. 1. *D. de Leg. II.* Julianus quidem ait, si alter ex legitimis heredibus repudiasset portionem, cum essent ab eo fideicomissa relata, coheredem eius non esse cogendum fideicomissa praeflare: portionem enim ad coheredem sine onere pertinere. Sed post rescriptum Seueri, quo fideicomissa, ab instituto relata, a substitutis debentur, et hic quasi substitutus cum suo onere consequetur ad crescentem portionem, qua de re dixit PETR. DVIRESEMA *Coniectural. iur. ciu.* (Groning. 1714.) *Lib. II. c. 8.*

Sed quorundam haec? Eo scilicet, vt luculentius pateat, etiam in veterum Ictorum fragmentis, quae Pandectis continentur, valere regulam: Αἱ μεταγενέσεοι διατάξεις λογιγότεραι τῶν πρὸ αὐτῶν εἰσίν. Et si enim fragmenta Pandectis inserta, originem si species, leges proprie haud sunt, legum tamen vice, postquam IVSTINIANVS ea omnia sua fecit, funguntur, immo ab ipso IMP. in *Conf. de conf. Dig.* §. 10. diserte **LEGES** vocantur, vt iam monuit celeberr.

I.C.

I. C. KOCH in diss. de ordine legum in Pandectis p. 11. Finio iam verbis B. H. REINOLDI in Opuse. p. 557. *An quisquam adeo ineptus est, ut sibi persuadeat, leges et constitutiones priores, quamvis per posteriores abrogatae sint, ob hanc tamen solam causam, quod Iustinianus omnes suas fecerit, quodque illae etiam nunc vel in Digestis vel in Codice existent, eandem cum posterioribus vim habere?* Sane, quod corredicuum est caput, quamvis in libris Iustiniani superet et intelligendis iuris incrementis valde conducat, legis nomen non amplius tuetur, nec ille Princeps eo animo, ut obligaret, id suis legibus adnumerauit. Saepius ipse ius antiquum, recentius, nouissimum proponit, tantum ne quid antiquitatis ignoretur, nouissimo autem nos obstringi ostendatur.

CAPVT XXIV.

*Quid sint imperia in l. 3. pr. D. de supellec*t*i legat.*

Supellec*t*ili legata, ait PAVLVS in l. 3. pr. D. h. t. haec continentur, mensae, trapezophora, delficae, subfelliae, scamma, lecti, etiam inargentati, culitrae, toralia, imperia, vasa aquaria, pelues, aquiminalia, candelabra, lucernae, trulla. Ita legitur Florentiae, atque ita edidit FRANC. TAVREL. LIVS in Digestis ex Florentinis Pandectis repraesentatis p. 893. Turbat hic maxime interpretes τὸ imperia, quod quidem

C

hoc

hoc loco valde videtur ἀπροσδιόνυσον. Hinc, ut si fit, ad emendationes itum est. Et CVIACIVS quidem Obs. X. 13. impilia, SCALIGER autem ad Varronem de R. R. Lib. I. imperia legendum censet. In editione Pandectar. Gebauerian. p. 621. ad verb. imperia haecce notata sunt:

Gothofr. in nota προσκεψάλια^{*)}). Cuiac. Obs. X. 13. impelia aut impilia. In Mss. haec misere depravata sunt. Ex oīto Cod. Vat. habet impanaliosa. P. I. II. III. IV. imperialis vasa. Pal. IV. imperia, vasa. Barb. et Otob. ut est Flor. Hal. mappae, villofæ, vasa aquaria, Cuiaciana lectio videtur esse recta. Br. Vid. tamen Panciroli. Var. Lett. II. 92. Bynk. et Io. Seldenus de uxor. hebraic. lib. I. cap 14. Geb. ^{**))}

Quis quaeso, qui haec legerit, non vetus illud: *Fecisis probe, incertior sum multo, quam dudum, suum fecerit?* CVIACIVS emendatio vel ideo admitti nequit, quod impilia ad supellectilem, de qua PAVLO in d. l. 3. sermo est, nequam quam pertinent. Quid enim quaeso impilia sunt? Recte VOSSIUS in *Etymolog.* ling. lat. p. 306. *Impilia sunt pedum tegu-*

^{*)} Προσκεψάλιον (i. e. ceruical, puluinar) etiam legitur in Synopsi Basiliacor. XLIV, 13. p. 391. verum non τὸ imperia, sed toralia, quea in all. l. 3. proxime an-

tecedunt, exprimere videtur.

^{**))} Io. Seldenus in *Uxor. Ebr.* I. 14. p. 78. ipse incertus nihil discernit.

tegumenta e lana coacta. Utitur *Vlpianus l. 25. §. 4. D.* de auro arg. legat. Imo et *Plinius Lib. 19. c. 2.* Verba *VLPIANI* in all. l. 25. §. 4. sunt: *Fasciae crurales pedalesque et impilia vestis loco sunt, quia partem corporis vescunt.* Iam, si impilia vestis loco sunt, dic quoque, *CVIACI*, quo iure ea ad supellec̄t̄iem referas? Rechte hoc iam monuit *PANCIROLVS Var. Leſt. II. 92.* Aliqui legunt *impilia*, quod non placet, et ea sunt de genere vestium, unde sub supellec̄t̄ili nequeunt contineri. Quod porro ad τὸ *imperia*, quod *SCALIGERO* placuit, attinet, nae illud hoc loco valde alienum dudumque ab intelligentioribus reiectum est. Reliquae, supra quas notaimus, librariorum a vera lectione aberrationes nemini facile saliuam mouebunt, nedum probabuntur.

Quodsi igitur, inquis, sola tibi Florentina placet lectione, et τὸ *imperia* retinendum censes, dic, amabo, quid hic significet, et quomodo inter res ad supellec̄t̄iem pertinentes tueri locum possit. Aequa profecto postulatio, sed cui satisfacere haud in proclui est. Frustra consului *GESNERI Thes. L. L. BASIL. FABRI Thes. E. S.* quem nouissime edidit *I. H. LEICHIVS Lips. 1749. BRISSONIVM de V. S. et Additamenta ad hoc opus*, a *IO. WUNDERLICH Hamburgi 1778.* in lucem edita ^{a)}). Solus *PHIL. VICAT* in *Vocabular. iur.*

C 2

Tom.

^{a)} Nec *LAZAR. BAYFIUS de r̄e v̄stiaria* (Basileas 1537.) τὸ *imperium* meminit.

Tom. II. p. 127. hanc rem attigit, sed CVIACII atque SCALIGERI coniecturas referre contentus nihil praeterea addit. Periculum igitur faciam, num extricare quid possim, quod, si non omnino certum, vero faltem simile sit. Mihi enim eiusmodi in rebus versanti nunquam non opera danda esse videtur, ne in nos conueniat illud QVINTILIAN. *Inst. Orationis. Lib. IX. cap. 4.* *Quae in veteribus libris reperta mutare imperiti solent, et dum librariorum insectari volunt inscitiam, suam confitentur.*

P. P. IVSTI in *Spec. crit.* quod *Viennae 1765. prodiit,* cap. 15. p. 50. scribit, *tò imperium fuisse vniiones, integra in monilia contextos, aliis pretiosis lapidibus intersertis, ut caput totaque membra eis tegerentur; quam in rem profert locum ex ARCVLPHI, Praefulsi Galli, libro de locis sanctis, vbi inter ornamenta muliebria recenserit dicuntur pendentes, brachialia, dextroceria, murenae, monilia, annuli, capitulares, cingella, irata, baltei, coronae, imperium ex auro vel gemmis, et ornamenta plurima.* Eundem ARCVLPHI locum iam ante protulerat PAVL. COLOMESIVS in *Obs. sacr. (Operum Hamburi 1709. editor. p. 592.)* vbi ad verba PAVLI *I. Cor. XI. 10.* ita scribit: *Videant eruditii, an non ἐξστία hoc loco sit imperium, qua voce usus est Arculphus in libro de locis sanctis, varia ornamenta muliebria recensens:*

Pen-

Pendentes, brachialia, dextroceria, murenae, monilia, annuli, capitulares, cingella, irata, baltei, coronae, imperium ex auro vel gemmis et ornamenta plurima; et Arculpho prior Paulus, Itus, in l. 3. D. de supell. leg. Mensae, trapezophora, delphicae, subfella, scanna, lecli, etiam inargentati, culcitrae, toralia, imperia. Quam lesionem temere mutat Cuiacius Obs. Lib. X. c. 13. Verti etiam potest vox Εξστία dominicale, quod fuit velamen capitum mulierum, ut in Glossario probat Carolus du Fresne, non vero linteolum, ut vulgo existimant eruditii. Quae situm diu ARCVLPHYM inueni tandem in Actis Sanctor. Ord. S. Benedicti, in seculor. classes distributis, et a Io. MABILLONIO Parisiis 1672. editis, Sec. III. P. II. p. 502. sq. ubi leguntur ADAMNANI, Abbatis Hienensi*), Libri III. de locis sanctis, ex relatione Arculphi, Episcopi Galli. Eundem librum iam antea ediderat Io. GRETSEURUS Ingolstadt. 1619. quae tamen editio MABILLONII aequo tam rara fuit, ut, quemadmodum ipse testatur, vix cuiquam nota esset. Ego vero totum ARCVLPHI, aut, si mauis, ADAMNANI de locis terrae sanctae librum audiissime perlegi, sed nihil eorum, quae COLOMESIS IUSTIQUE ex eo referunt, inueni. Totus quippe

C 3

in

*) ADAMNANVM sec. VII, vi-
xisse et anno 704. mortuum esse,
notauit I. A. FABRICIVS in bibl.
latin. med. et infim. aetat. Tom. I.

p. 14. Eiusdem meminit Io. MA-
BILLON, in Annal. Ord. S. Bene-
dicti. (Lut. Paris. 1703. /q.) Tom I.
p. 618.

in eo est ADAMNANVS, vt quidquid ab ARCVLPHO de terra sancta, ab hoc ipso perlustrata, inaudiuerat, fideliter referret; nec facile quisquam dixerit, quomodo ille in descriptione terrae sanctae ad cultum aut vestitum mulierum expatriari potuerit. Quare nihil supereft, nisi vt COLOMESISIVM aut verba, quae ARCVLPHO tribuit, aliunde sumisſe, aut integriore ADAMNANI libro, in quo verba illa fortasse legebantur, vſum eſſe dicamus. Quo autem de hoc ipso libello iudicare. Leſtores facilius poſſint, haud pigrabor adſcribere verba, quibus in relatione de ADAMNANO vtitur MABILLONIUS l. c. p. 501. Adamnani, inquit, opusculum de locis sanctis, in tres libros diſtinctum, dudum perquisiti, ac reperi tandem in MS. Codice Corbeiensi, sed mutilum ac imperfctum. Reuoluendo Tom. I. Bibliothecae Labbaeanae ^{*)} incidi in eum locum, vbi LABBAEVS indicat ex schedis SIRMONDI, exſtare libros illos manu deſcriptos in Bibliotheca Vaticana. Scripti ea de re ad ANT. DVRBANVM. Luftravit ille Bibliothecam Vaticana, inuenit apographum diu desideratum, et codicis Corbeiensis lacunas et hiatus ſuppleuit, monuitque inſuper, ADAMNANI opusculum in Bibliotheca Barberina repe-

^{*)} PHIL. LABBAEI *Nova Biblioth. libror. manusc. historias, chronica, sanctorum sanctorumque* *vitas repreſentans*, prod. Parī. ſis 1657. Tom. II.

reperiri, editum Ingolstadii ao. 1619. opera et studio IAC. GRETSERI. Eius editionis exemplum tandem a RAYMONDO FORMENTINO accepi. At quia istius editionis exempla in his partibus adeo rara sunt, ut vix cuiquam nota esset haec editio, e re litteraria esse existimardunt viri eruditii, si istos ADAMNANI libros recuderemus. GRETSEVS e regione textus ADAMNANI opposuerat textum BDAE, qui librum de locis sanctis ex ADAMNANI scriptione collegerat *). Nobis fat visum est, solum reddere ADAMNANVM, rel.

Sed fac, verba illa apud ARCVLPHVM aut ADAMNANVM reapte legi, nequaquam tamen inde explicari *l. 3. D. de supell. leg.* posset. Illic enim de ornamentis mulierum sermo esset, PAVLVS contra de supellefili legata loquitur. Scire certe debebat IVSTI, quod POMPONIVS ait in *l. 1. D. de supell. leg.* *Supellex est domesticum patris familiae instrumentum, quod neque argento aurove facto, vel vesti adnumereatur.* Diuersi etiam sunt in Dig. tituli *de supell. leg.* et *de*

C 4 auro,

*) Consului etiam BEDAM VENERAB. de locis sanctis, (operum Colon. Agripp 1688. inform. max. editor. Tom. III. p. 363.) quippe qui, ut ipse fatetur, ADAMNANVM ex scriptis sed nihil, quod hoc pertineret, inueni.

auro, argento, mundo, ornamentis, vnguentis, ueste vel vestimentis et statuis legatis. Turpiter igitur se dedit P. P. IVSTI, ornamenti vestitumque mulierum cum supellefili confundens. Haud magis hoc pertinet locus CYPRIANI de *habitum virg.* ab eodem citatus: *Nec distinctis auro lapillis et margaritis contexta serie et numerosa compage digestis monilia instituit,* quibus ceruicem, quam fecit, absconderet, ut operiatur illud, *quod Deus in homine formauit, et conspicitur desuper id,* quod diabolus adinuenit; quippe qui itidem de supellefili nihil continet.

Sed ut in viam iam redeamus, verba d. l. 3. τὸ imperia proxime praecedentia, λεῖται, culcitrae, toralia, verosimile mihi redundat, eodem etiam pertinere *imperia*, quibus, ni fallor, tegmen λεῖται, quod vulgo *cadurcum* appellari solet, significatur. IVVENALIS VI. 537.

Magnaque debetur violato poena cadurco,
idemque VII. 221.

Inflitor hibernae tegetis niueique cadurci.

Atque in hanc sententiam me deduxit PAVL. COLOMENSIUS, quippe qui haud male coniicit, τὸ imperium responderem graeco ἔξεστια, quo PAVLVS ad Cor. I., XI. 10. usus est. Quemadmodum scilicet hoc pro velamine capitis mulie-

mulierum sumitur, ita τὸ imperium pro velamine leđi*), fortasse etiam (si locus ARCVLPHI recte se habet) pro vela- mine, quo mulieres capitis aut tegendi aut exornandi cauſa ytebantur, usurpari potuit. Bene CANGIVS in *Glossar.* Tom. I. p. 877. *Dominicale non fuit linteum, in quo mulieres communicaturae eucharistiam deponebant, quam iis non licebat nu- da manu accipere, quod viris licuit. S. Augustinus Serm. 152. de Temp.* Omnes viri, quando communicare desiderant, lauent manus, et omnes mulieres nitida exhibeant linteamina, ubi Corpus Christi accipiunt. Fuit enim dominicale velum, quo mulieres caput in ecclesia tegebant, cum iis non nisi velatis illius ingressus pateret ex Lini P. P. constitutione, ut est apud Anastasium, quod ab Apostolo iam satis aperte praescriptum est 1. Cor. II. Poem- tentiale Theodori c. 7. et Leo P. P. ad Theodoricum Episcop. Mulieres possunt sub nigro velamine sacrificium accipere, ut Basilius indicat. Mulieres prouinciales DOMINO vocant velum feri- cum, quo caput tegunt, aliis vulgo Cœffe. IAC. GOTHOFRE- DVS quidem in diff. de velandis mulieribus deque exuia capitis loco ἔξεστας minus recte legit ἔξεβιας, quod dudum displicuit cordataribus; idem tamen recte animaduertit,

PAV-

*) Haud male Vossius in *Etymolog.* p. 102. conicit, *cadur-* cum esse cortinam s. peripetasima,

D



PAVLI hanc esse sententiam, mulierem velatam esse oportere, seu gestare in capite velamentum, addens: *Non nimis tantum mulieris frontem imminui voluit Apostolus, sed caput totum faciemque oculosque velari.*

Aliam nuper viam init IAC. DE RHOER in *Feriis Da- ventriens. II. 8.* PAVLVM ita explicans, ac si dixisset, mulierem potestatem exercere debere sub viro (vt pote capite familiae) s. sub auspicii viri; quod quidem nimis longe petitum mihi videtur. Quare rectius CHR. SCHOETGENIVS in *Lexico in N. T. p. 218.* edit. quae L. B. 1755. prod. Debet mulier calyptram habere super capite propter angelos. G. G. Zeltnerus de munimento capitinis feminis contra angelos. (Alt. 1715). Sic Psalm. 60. 9. potestas capitinis est tegumentum^o).

Ceterum, etiamsi τό imperium significatu illo singulari in sola 1. 3. D. de supell. leg. occurreret, non ideo tamen pro spurio habendum, aut tanquam surreptitium eliminandum effet,

^o) Quod etiam repetitum in nouissima huius libri editione, quae cura G. L. SPONII Lipsiae nuper prodit, p. 256. Eadem de re nonnihil dixit THEOPH. RAY-

NAVDVS in *Tract. de pīto et ceteris capitinis tegminibus*, in I. G. GRAEVII *Theſ. Antiqu. Rom.* Tom. VI. pag. 1239.

esset, sed meminisse oporteret, esse verba quaedam $\delta\pi\alpha\zeta$
 $\lambda\epsilon\gamma\mu\epsilon\nu\alpha$, quae hodie non nisi uno occurruunt loco, ut
iam alibi (*Interpr. et Obs. p. 117.*) monuimus*). Facit hoc
etiam quod scribit DAV. RVNKENIVS in *praef. Apuleii
Metamorph. L. B. 1786. ab ipso edit. praemiss.* „Bona pars
eorum, quae a GELLIO et APULEIO licentius insolentius
que ficta videri possent, a grammaticis antiquis, maxime
a glossographis, conseruata reperitur. Quidnisi igitur reli-
qua, quorum nullum apud grammaticos, qui nunc super-
sunt, vestigium est, pari auctoritate niti dicamus? Quia
de re liquidius iudicari poterit tum, cum quis ad eam labo-
ris patientiam sese durarit, ut glossaria latina, in Leideni
Bibliotheca latentia, quibus nihil unquam vel vetustate vel
praestantia simile reperias, e tenebris in lucem vocet, lin-
guamque latinam, de cuius inopia vetus querela est,
aliquot mille vocabulis et formis nondum cognitis
locupletet.“

D 2

Haec

* Ita e. g. nullibi, praeter-
quam apud CAESAREM, occurrit
verbum *chara*, quo significatur
genus quoddam radicis, de quo
legi meretur I. G. WEINMANNI

*Traictatus botanico-criticus de Chara
Caesaris, cuius Lib. III. de B. C.
c. 48. meminit, Carlsruhae 1769.
typis excusis.*

Hacc quidem praefari placuit, cum indicendi essent
honores Viro praeclarissimo atque consultissimo

DOMINO

RVDOLPHO HOMMELIO

L I P S I E N S I

ARTIVM MAGISTRO ET IVRIS VTRIVSQUE
BACCALAVREO

qui (dignus PATRE, cuius memoriam nulla delebit vetu-
flas, filius) suo tempore locum in collegio nostro obtinebit,
a nobis collati. Ne quem autem lateat ratio, qua vitam
suam, laudabiliter adhuc actam, instituerit, iuuabit audire
ipsum ea de re ita exponentem:

*Natus sum Lipsiae M. Septembr. MDCCXLVII. patre
Carolo Ferdinando, Facultatis iuridicae tunc temporis Ordinario,
matre Amalia Sophia, Schubarti, Consiliarii aulici et Consulis
Lipsiensis, filia. Cum nemo inter nos ignoret, patrem meum re-
liquis virtutibus suis summum animi candorem et sensum huma-
nitatis iunxit, quisque facile intelliget, eum se optimum etiam
meique amantissimum parentem exhibuisse. Sed placuit Summo Nu-
mini, eum et litteris et mihi praematura morte eripere, qua
quidem morte damnum plane irreparabile sensisse, nisi commissus
fuissem*

suissim curae et fidei matris, quae ex omnibus iuribus officiisque
 maternis non nisi solum amorem ad se pertinere arbitrata est,
 quae in me educando, adiuuando, sustentando tam egregiam curam
 impendit, et tantum ad studiorum meorum promouendorum ratio-
 nem contribuit, ut ingenue fatear, ex eo maximum mihi honoris
 stimulum enasci, ut patris nomine et matris amore omnino dignus
 reperiar, et ipsa censeat, se ex meis profectibus iustum beneficio-
 rum suorum praetium retulisse. Mirifice autem eam in rationum
 metarum cura adiuuit illuistris Richteri, Proconsulis huius ciuitatis
 spectatissimi, studium, quem, cum tutelam mei in se suscepisset, se
 patrem magis, quam tutorem mihi praefuisse, publice gratissima
 mente profiteor. Ad ingenium meum litteris imbuendum plurimi-
 num fecerunt tum priuatae scholae Bertholdi, maxime autem
 Stockmanni et Röffigii, Professorum in hac nostra Academia cele-
 berrimorum, quorum posterior iam affinitatis vinculo mihi con-
 iunctissimus est, tum publicae, a Martinio, venerando sene, et
 Forbigeri, in Schola Nicolaitana institutae, quibus per tempus
 aliquod interfui. Cum autem altiorum litterarum addiscendarum
 cupidine flagarem, anno iam MDCCLXXXIII. ill. Platnero
 tunc jasces tenente, Academica spatia ingressus sum. Ibi ab
 ore Wenckii et Beckii in historicis, Dindorfii in philologicis, Hin-
 denburgii in mathematicis, Seydlitzii et Platneri in philosophicis,
 nec non Bieneri, Junghansii, Schotti, Wielandii et Winkleri in iu-
 ridicis scholis, summa cum animi delectatione pependi, et liberali-
 torum institutione praeparatus atque instrutus inuenit anno
 MDCCLXXXVI. Praeside ill. Bienero libellum de fundo do-

D 3

tali

tali a me ipso magna ex parte conscriptum publice defendi, paulo
 post autem ad Examen, quod pro Candidatura vocant, admissus,
 optimo elogio ab Illustri Iectorum Ordine condecoratus sum. Mensis
 Augusto eiusdem anni ab Amplissimo Philosophorum Ordine Ma-
 gisterii honores petii et anno sequente ius scholas philosophicas
 aperiendi per libellum: de poenis criminalibus Romanorum
 iure Iustinianeo obuiis, in Cathedra Philosophorum defensum,
 mihi vindicauit. Cum autem prae omnibus aliis disciplinis iuris
 publici et politices studium mihi semper maxime arriisset, et in-
 super Germaniae provincias visendi et accuratius cognoscendi
 desiderio flagrassem, anno MDCCCLXXXVIII. iter aggressus
 sum, atque et per tredecim menses Wetzlariae, Ratisbonae
 et Viennae commoratus, tanta cum animi voluptate et delecta-
 tione, ut felicitatem maiorem ea, quam ibi percepi, in vitam meam
 cadere posse vix sperare audeam. Nam et studiorum, quibus
 ibi operam nauarem, suauitas, et regionum illarum amoenitas et
 cura summorum virorum, qua me peregrinum et a nemine com-
 mendatum amplectenterunt, studiorumque meorum rationem diri-
 gerent, me mirifice delebarunt, et cordi meo in aeternum inscri-
 ptae manebunt. Post discessum a Vienna Bauariam, Sueviam,
 Provincias Rhenanas et Franconiam pervagatus sum, et in
 patriam redux ut ostenderem, me non peregrinandi solum causa
 peregrinatum esse, statim libellum: Von einigen Vorzügen des
 Reichshofrathlichen Proceses vor dem Reichskammerge-
 richtlichen, edidi, quo ipso ill. Haubaldo munus Professoris rite
 auspicato amicorum nomine gratulatus sum. Exorsis subinde
 tur-

turbis Leodiensibus, sub initium anni superioris internam Episcopatus Leodiensis constitutionem singulari libello exposui: Ueber das Hochflift Lüttich, qui primum Ephemeridibus: Neues Deutsches Museum, insertus postea etiam separatim apud Goeschenium prodit. Quum deinde post mortem Iosephi II. A. mense Februario eiusdem anni insecuram regimen imperii Germanici vicarium in terris Saxonici ad Serenissimum Electorem nostrum peruenisset, precibus meis accessus ad Cancellariam Vicariatus concessus est, quo facto, ne villam studii mei amplificandi occasionem praetermitterem, per tres fere menses Dresdae comoratus sum. Mox cum Illustrissimus S. R. I. Comes a Schonberg, Serenissimi Electoris Saxonici Intimae et Sanctioris Admissionis Minister, ab Electore Clementissimo legatus mitteretur ad Comitia eligendi Imperatoris causa conflata, me sibi adiunxit, ut ipsi a secretis essem, quo eius beneficio, in primis quum aditus etiam ad Concellariam mihi pateret, accurata grauissimorum negotiorum, quae in hisce Comitiis ventilabantur, cognitione imbui mihi contigit. Mense Octobri redux ut, quae vidissem et obseruasse, cum aliis communicarem, litrum: Briefe über die Kaiserwahl, während derselben aus Frankfurt geschrieben, inscriptum edidi, quā hoc ipso anno apud Goeschenium prodūt. Ne autem solo iuris publici amore captus iuris priuati studium plane negligere viderer, ex Illustris ICtorum Ordinis auctoritate, habitis confuetis lectionibus ad c. 5. X. de Cleric. excomm. et l. 20. C. de poenis, Examen, quod vocant, rigorosum subii, et deinde paucis abhinc diebus libellum meum: De remotione Consiliariorum

Impe-

*Imperii austriacorum ad illustrandum locum Art. XXIV.
§. 10. Capitulationis Caesareae Novissimae, pro summis
in utroque iure honoribus obtainendis, publice defendi.*

Hunc igitur, superato magna cum laude utroque examine, editisque speciminibus omnibus, recens creatum Doctorem, propter insignem eruditionem, iurisscientiam eximiam, multarumque rerum notitiam, maxime commendabilem, nostris iamiam adscriptum, eaque omnia, ut par est, rite peracta fuisse, maioris fidei causa hocce programmate, sigillo Collegii nostri firmato, significamus. P. P. Dominica XV. post Fest. Trinit. MDCCCLXXXI.

L I P S I A E
EX OFFICINA BREITKOPFIA,




ULB Halle
003 015 432

3



56.



3
1791, 3.

ORDINARIVS
SENIOR ETRELIQVI DOCTORES
FACVLTATIS IVRIDICAE
LIPSIENSIS
PROCANCELLARIO
IOS. LVD. ERN. PÜTTMANN
I. V. D

CATHEDRALIS ECCLESIAE MARTISBURGENS. CANONICO CAPITVLARI
 COD. PROFESSORE ORD. COLLEG. ICTOR. SENIORE, ACADEMIAE DECEMVIRO
SVM MOS IN IVRE HONORES
CVM SPE
SVO TEMPORE LOCVM IN COLLEGIO
OBTINENDI
PRAECLARISSIMO CANDIDATO
RUDOLPHO HOMMELIO
LIPSIENSI
ARTIVM MAGISTRO ET IVRIS VTRIVSQUE BACCALAVREO
A. D. XXVIII. SEPTEMBRIS MDCCCLXXXI
COLLATOS
INDICVNT